Zu den

öffentlichen Prüfungen

der

Meldorfer Gelehrtenschule,

welche

am Donnerstag, den 2ten April, Vormittags von 9 Uhr an mit Prima, Nachmittags von 2 Uhr an mit Secunda, am Freitag, den 3ten April, Vormittags von 9 Uhr an mit Tertia, Nachmittags von 2 Uhr an mit Quarta

angestellt werden,

und

zu den am 6ten April, Vormittags 10 Uhr,

zu haltenden

Reden und Declamirübungen

ladet alle

Freunde und Gönner der Schule

ergebenst ein

Dr. H. Dohrn, Rector.

Voran geht eine Abhandlung des Herrn Dr. und Conrector Kolster:

De adornata Oedipodis Colonei scena.

Itzehoe 1846.

Gedruckt in der Schönfeldtschen Buchdruckerei.

[illegible]

[illegible]

Duobus abhinc annis quum mihi demandata esset haec provincia aliqua scriptione praefandi lectionibus nostris, de Philocteta Sophoclis fabula scribens quasi praetereundo quaedam de scena hujus dramatis disserui. Videbar enim mihi hinc petere posse, quae facerent ad dijudicandam eam disceptationem, quae tum mota erat inter viros doctissimos de itineribus, quibus histriones apud veteres intrassent theatrum; demonstrare enim conatus sum, in hac certe fabula plane fieri non posse, quin Neoptolemus, Odysseus, mercator ex orchestra in scenam adscenderint et ipsum tragoediae initium in orchestra sit actum. Juvat iterum descendere in hanc arenam, et de adornata Oedipodis Colonei scena paullo pluribus disserere: tenue profecto argumentum! sed tenues merito in re tenui nos continemus. At quid tandem est tenue, quod valet ad opera antiquitatis vel praestantissima magis animo repraesentanda atque vividam eorum imaginem colligendam? praesertim quum interdum ejusmodi imago aliquantum adjuvet ad locos quosdam difficiliores rectius intelligendos. Accedit, quod haud scio an ulla sit antiquitatis tragoedia, quae tantam habeat rerum gestarum multitudinem et varietatem, quare facile poterit in hac trutina examinari, quomodo nobis de hac lite commota sit judicandum, si quidem possumus satis certa de hac tragoedia colligere, neque assentiendum est viro docto *) hanc rem in plane desperatis habenti. Sed nonne animi parvi est, priusquam conere, spem abjicere? Caute agendum est, difficiliorem scilicet et variis erroribus obnoxiam rem tractanti: sed ne longus sim, ad ipsam rem aggredior. Scholae autem et discentibus scribentem decet paullo altius rem repetere et totam, quam fieri poterit brevissime, proponere.

Duae erant theatri antiqui partes, in quibus fabulae agebantur, quod apud nos secus est, proscenium et orchestra, illud histrionum erat, haec chori, neque tamen altera ab altera plane erat disjuncta et separata, erant enim scalae, quibus ab orchestra in proscenium ei a tergo imminens et ad decem vel duodecim pedum altitudinem ea evectius ascenderes. Suae utrique erant portae, majores orchestrae, duae, utrimque positae; proscenio contra tres

*) Geppert über die Eingänge zu dem Proscenium und der Orchestra. Berl. p. 4. Altgr. Bühne p. 121.

in ipso eo, qui a tergo ei imminebat, pariete, cui scenae erat nomen. Consentaneum est, per illas chorum intrasse, has histrionibus maxime patuisse, neque tamen adeo simplex est res; Julius enim Pollux, qui Commodi imperatoris vixit temporibus, luculentum nobis reliquit testimonium (Onomast. IV, 19, 127), interdum etiam factum esse, ut per orchestram histriones intrarent, cui rei ipsae scalae ex orchestra in proscenium ducentes possunt esse testimonio. His innixus argumentis ante hos fere triginta annos Genellius, vir ingeniosissimus, in eo, quem de rebus scenicis veterum conscripsit, libro plerumque per orchestrae portas histriones intrasse, quin magnam saepe tragoediae partem in ipsa orchestra actam statuit. Hunc secuti, quum tribus abhinc annis Antigone jussu regis Borussorum artis amantissimi in scenam revocaretur, per orchestram in proscenium histriones ascenderunt. Laesit tamen ea res a nostra consuetudine abhorrens, non virum aliquem imperitum, sed ipsos viros doctissimos, e quibus Tölkenius *) non dubitavit affirmare, inane illud esse commentum, et vulgarem introitum patuisse histrionibus propter versurarum itinera, nos diceremus Coulissas. Assentientem habuit Böckhium, virum illustrissimum et harum rerum inprimis gnarum, qui facile everti posse illum Pollucis locum affirmavit p. 80. Miror placuisse viris doctissimis pulchri quodam sensu ductis spernere et abjicere veterum testimonia, quibus solis tamen nostra harum rerum nititur scientia, quae si temporum iniquitas hausisset, quam ardentibus flagitaremus querelis! Quod si fecissent necessitate aliqua coacti **), me facile haberent assentientem: sin nihil nisi speciem suumque pulchri judicium secuti sunt, neminem fugit profecto, quam arctis legibus veteres multis in rebus usi sint, quas nos non solemus ad tam certa praecepta revocare. Satis erit rem metricam commemorasse, et tragoediarum scribendarum leges quasdam videri in Aeschyli, Sophoclis, Euripidisque familiis a patre filiis quasi per manus esse traditas (Geppert, d. altgr. Bühne, p. 205), quin non placuisse, ut unus vir in pluribus carminum generibus elaboraret; quod quis tandem fugiet nostrorum poetarum? Quare licebit tantis viris contradicentem laesae verecundiae crimen effugere et commode accidit, quod Geppertus majore libro in totam rem scenicam veterum inquirendo (die altgriechische Bühne, Leipz. 1843,) hoc nos onere levavit. Qui ut modeste negavit, caute affirmavit, ita et ipse velim factum et in illa, quam ante hoc biennium edidi, dissertatione et in his, quae nunc scribo. Quae tum reperisse mihi visus sum, teneo; nunc autem id quaeramus, in dramate actionis plenissimo, ubi plurimos huc illuc videas commeantes, utrum necessarium sit statuere, plures etiam fuisse, per quas histriones commearent portas. Ipse Geppertus videtur desperasse, posse omnes, quae hic commemorantur, vias ad hunc numerum revocari p. 124: examinanda tamen res videtur.

*) Ueber die Antigone des Sophocles drei Abhandlungen von Böckh, Tölken und Förster. Berl 1842. p. 55.

**) Tölkenius si ad Vitruvium testem provocat, oblitus est, hunc eo ipso loco de Romanorum dicere theatro, qui quum alio modo construerent proscenium et praeterea, orchestra per senatorum sellas occupata, utroque aditu, qui Graecis histrionibus hinc patebat, suos intercluderent, alium his propter versurarum itinera videntur concessisse.

Neque tamen his me continebo finibus. Totam in animo est exponere scenam, quomodo fuerit adornata, et poetae vestigiis insistentem, quam maxime fieri poterit, luculentam exhibere imaginem.

Sed hoc loco, heus tu, aliquis dicat, acta ages; luculenter enim Wunderus in editione sua de dramatis scena egit. Non me fugiebat illud, et bene ille plurima collegit, sed moleste fero, hic substitisse virum illum, cujus ingenium nec abhorret a conjectura probabili, nec hebes est ad acutissime inveniendum et ingeniosissime, quae excogitavit, probandum. Sunt enim, quae desiderem, nam nec memorabilis ille *χάλκεος οὐδός*, qualis fuerit, et quomodo in scena exhibitus sit, proposuit, nec videtur animadvertisse, hinc lucem affundi v. 195 sqq. Quare id agemus, ut quae Wunderus inchoavit, nos, si fieri potest, absolvamus, et simul illud, quod proposuimus, dijudicemus.

Oedipus quum filiorum scelere et nequitia Thebis esset pulsus, erravit aliquamdiu senex, tenui exceptus hospitio, instabilis, parva petens, quibus corporis expleret desideria, minora ferens, dum exhaustis omnibus calamitatibus, jactatus miseriis, fausto quodam casu in Colonum, qui est pagus quidam prope Athenas situs, Sophoclis patria, delatus est. Haec est ipsius dramatis scena. Videmus senem deplorabilem prodeuntem Antigonae filiae pietate luminis errores sublevantem, squalore obsitum, viae longitudine ita defatigatum, pedem ut jam non possit proferre: quare sibi circumspicere jubet Antigonam aliquam sedem, nihil curantem, sacrone illa an profano loco sit posita, deinde quonam in loco versentur quaerere. Cui filia morem gerens considere jubet in rudi quadam lapidum strue, (19.) non quin moneat, sacrum hunc esse locum, qui obsitus sit lauro, olea, vitibus, totusque lusciniarum personet cantu Wund. p. 22. Recte monet Geppertus p. 137, fieri vix potuisse, quin quam maxime poeta ipsius naturae vestigia presserit. Incredibili autem quadam hic locus erat amoenitate, dulcissima arborum omnis generis umbra quum a solis aestu tum a tempestatum vehementia tutus; hedera ibi splendentibus foliis conspicua, nigris ornata corymbis et claviculis velut manibus subnixa ad arborum ramos erigebatur: varii solum pingebant flores, narcissus in primis, crocus, aliae; nihil enim negabat nec lenis aura, nec irrigata Cephissi liquoribus terra, nidosque placide in deorum tutela exstruxerant lusciniae, eamque indefesso celebrabant cantu, quae Sophocles mollissimo illo carmine v. 666 celebrans, quam optime fieri posset, certe in scena conspici voluit. Quare non neglexit, opinor, rupes, quibus hic locus erat insignis, quod ipso nomine suo *πολυπρήων κολώνη* prae se ferebat, (Reis. enarr. IV. Wund. 22. §. 1.) licet verbo de hac re poeta non monuerit. Genellio visus est, nil nisi vallem rupibus obsitam exhibuisse, ab una tantum parte spectantium oculis oppositam, a tergo in Furiarum vallem dejectam. Conspiciuntur tamen hoc in loco Athenae, v. 24, et plurimae hic coeunt viae, quare, quod Genellius de tota scena statuit, rejiciendum erit ad alteram ejus partem et eam quidem sinistram, urbs enim sollemni quodam theatri more dextra conspiciebatur *).

---

*) Pollux. Onom. IV, 19, 127. *Τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξία ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει, οἱ δ' ἀλλαχόθεν* (i. e. peregre) *ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν.*

Jam quo loco Oedipus scenam ingressus sit quaerenti, hoc certe in propatulo est, fieri non posse, ut per orchestram hoc factum sit; non poterat enim senex coecus et exhaustis praesertim viribus requiem sibi exoptans per scalaram gradus deduci, ut consideret: aut in ipsis gradibus subsedisset, aut mirum in modum moleste ferret; quantis enim nos exaulmat querelis v. 195, 198; ubi descendere unum gradum jubetur. Sed commode accidit, ut nobis traditum sit, placuisse Graecis, ut, qui primas partes ageret, prodiret per portam illam, quae in media erat scena, regiam vocat Vitruvius. Haupt Vorschule z. Stud. d. griech. Trag., p. 9. Geppert, d. altgr. Bühne, p. 123. Hoc cadit in Oedipodem et hoc tenebimus. Jam aliquatenus potest scena adumbrari: a tergo via conspicitur, qua Oedipus intravit, ab ejus parte dextra est lucus amoenissimus, vario arborum genere obsitus, ab altera fortasse rupes conspiciuntur asperae leni jugo versus urbem dejectae, cujus turres et moenia spectantibus ad dextram jacent. Lucus ille ipse paullo magis editus lapidum rudium strue illa, quam diximus, septus est et dimidiam fere scenae partem complet, ita ut hinc, quod post videbimus, exiguum spatium pulpito relinquatur. Neque tamen ad ipsam portam regiam porrigi censeo illam struem, vix enim videtur poeta vel caecum Oedipodem facturus fuisse dicentem: *θάκησιν εἰ τινα βλέπεις, στῆσόν με κἀξίδρυσον* v. 9, si propter ipsam stetisset. In hac lapidum strue, sive magis placet septum illud vocare, quod e regione portae regiae ad extremam proscenii oram a parte sinistra porrigitur, residens Oedipus *) filiam jubet sciscitari alicunde, quibus in terris versentur. Illa vero, non dubium esse, quin Athenae sint in conspectu, respondet et adesse viatorem aliquem, ex quo certa comperire possint. Quo facto Oedipus hunc allocutus ante omnia jubetur decedere loco, ubi consederit, quem attingere nefas sit. Qui quum commotus, minime vero perterritus, veniam deprecari pararet ab eo, quod laesisset, numine, ejus nomen sciscitatur, et quum comperisset esse Eumenides, tantum abest, ut discedat, ut gratias agat ipsis, seque ut benevole velint recipere obsecret. Attonitus viator ille stare, nec audere accedere, ut vi illum deturbet: ita prae se fert, se nunc quidem satis remotum esse ab Oedipode. Non tamen negat, ei de loco, quae ille velit, exponere: omnem hanc regionem Neptuni esse, aliquam ejus partem tenere Prometheum Titanem; qua in sepe consederit Oedipus, eam limen aeneum, *χαλκοῦν ὀδόν*, vocari et in eo summam Athenarum versari, *ἔρεισμ' Ἀθηνῶν*; heroem autem hujus regionis praesidem praesentem conspici, equestrem demonstrans Coloni statuam, omnia autem illa non famae magis celebritate, quam religionis sanctitate esse conspicua. Oedipus deinde et fati imminentis et insidiarum periculorumque memor Theseum, quem huic terrae praeesse accepit, jubet advocare, viator autem ille monet, ne discedat ex eo loco, priusquam ab incolis ejus vicinitatis acceperit, quomodo se possit religione exsolvere, quo facto discedit chorum advocaturus e senibus Coloniatis compositum.

Hinc docemur per quam ille portam discesserit, fieri enim non potest, quin per eandem chorus intret; qui quum propter ipsam personam suam (sunt enim illius regionis

---

*) Dissentiendum igitur erit a Böckhio ad versuras Oedipodis sedem rejiciente, p. 81.

incolae) ex illa Pollucis lege per portam orchestrae dextram intrare debeat, sequitur, ut hac viator discesserit. Quomodo enim fieri potest, ut per aliam portam, quos advocaverit, adveniant, per aliam ipse advocaturus avolet, praesertim quum illi, qui Oedipodem non inveniunt, ne moneant quidem, alia eum potuisse via ex illo loco discedere. Accedit, quod ex longinquo viator cum Oedipode videtur colloqui, quare vix potest eadem, qua Oedipus via in hunc locum esse delatus: ne multa, ut per dextram orchestrae portam discessit, ita per sinistram intravit, ex orchestra igitur in pulpitum omnino non ascendit, cujus rei Geppertus (üb. d. Eingänge, p. 20—25,) ex Aeschylo duo satis manifesta exempla attulit. Jam possumus alia ratione hanc confirmare sententiam, Coloni enim herois equestrem statuam viator demonstrat 59: compertum autem habemus, parietem e proscenio in orchestram dejectum statuis fuisse ornatum: Pollux IV, 19, 124, Böckh, p. 81, Gepp. altg. Bühne, 98, 102; et Andocides de myst. p. 19 Rsk. testatur, fuisse ibi imperatoris alicujus statuam aeneam. Jam ille in orchestra stans poterat, quam in conspectu habebat, imaginem digito demonstrare, quae in scena ne conspiciebatur quidem. Orchestra igitur viae cujusdam publicae refert imaginem, quae dextra parte in Coloneum ducit pagum, sinistra quo vergat, post videbimus. Similia vide Gepp. altgr. B. p. 33. Jam aliud nobis est quaerendum, Neptunine delubrum in conspectu fuerit. Negare est in proclivi: neque enim viator demonstrat, et Antigonae fugit aciem, et Theseus postquam sacrorum causa eo se contulit, procul abesse censendus est, nihil enim eorum videt, quae in scena geruntur, exaudit tamen chori clamorem, et Polynices priusquam inde arcessatur, aliquantum temporis praeterit. Censendum est itaque illud delubrum extra scenam esse situm in aliquo montis recessu, quem a parte dextra portae regiae fuisse statuimus. Neque magis Promethei statuam aut fanum censeo in conspectu fuisse.

Jam aheneum limen quomodo comparatum fuerit, circumspiciamus. Ὀδός, qua forma Sophocles utitur, idem est, quod Homericum οὐδός, quod apud hunc dicitur χάλκεον, λάϊνον, ξεστόν, δρύϊνον, μελινόν. Aeneum est non solum Tartari limen, Iliad. Θ, 15, sed etiam Alcinoi, Od, *H*, 83, 89, et Pausanias *IX*, 19, 5, tentorii Agamemnonii commemorat limen aeneum ad sua tempora in Aulide servatum. In Odyssea quum adjungantur σταθμοὶ ἀργύρεοι, dubitari non potest, quin ibi cogitandum sit de limine ex aere fuso, quod secus est hoc loco, ubi non dubium est, quin factum fuerit e lapide non subacto et laevigato; vocatur enim v. 19 ἐπ' ἀξέστου πέτρου, v. 101 βάθρον τόδ' ἀσκέπαρνον, 186, ἀντίπετρον βῆμα i. e. gradus rupi similis, asper et impolitus cf. Reisig a. h. l. Quod autem aeneum vocatur; aeneis vinculis cum vivo soli subjecti saxo erat conjunctum. 1583, χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐρριζωμένον, ne ulla vi aut casu suo loco posset moveri. (Βάθρον saepe nihil nisi fulcrum, ἕδος, significare vid. Ellendt lex. Soph.) Jam luculentius apparet, quid v. 57 sibi velit χαλκόπους ὀδός, pedis enim loco sunt compages illae aeneae, et plane eadem imagine usus est Hesiodus Theog. 811—813.

ἐνθάδε μαρμάρεαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς
ἀστεμφής, ῥίζῃσι διηνεκέεσσι ἀρηρώς,
αὐτοφυής,

ad cujus loci similitudinem fortasse sua expressit Sophocles. Limen autem patet modice supra solum extolli, quare multos videmus apud Homerum in limine considentes Od. *K*, 62, *P*, 339, quin non solum transcendentes, sed ascendentes etiam; *X*, 2 *ἆλτο δ' ἐπὶ μέγαν οὐδόν*, et descendentes, *Δ*, 680 *τὸν δὲ κατ' οὐδοῦ βάντα.* Haud alta igitur erat lapidum strues et regionem eam, quam nefas erat calcari, totam cingebat, Schol. v. 186. *τοῦτον δὲ τὸν πέτρον ὑποτίθεται τοῦ ἀβάτου ὅριον* „saxa haec fingit sanctuarii esse finem.“ Apparet enim, ut portae limen non possit ulterius quam a postibus ad postes porrigi, terrae alicujus limen totam cingere, qua aditus ad eam patet, et ita sepis aut valli esse loco. Ita demum poeta v. 18 loqui potest, de iis, quae intra illud limen sint et itidem v. 187; nisi quod hoc loco chorus extra nemus stans, quae trans illam struem sunt, dicit esse *ἔξω βήματος ἀντιπέτρου,* quae eadem Antigone alia ratione ducta v. 18 *εἴσω* vocaverat. Sed ante omnia hoc non est negligendum, conspici necessario aliquam modo illius liminis partem, quod aheneum vocabant, aliam non esse in conspectu sitam, de qua post videbimus. *Ἔρεισμα Ἀθηνῶν* vocatum esse miratur Wunderus hoc limen, rejectaque Reisigii mirabili sententia, Enarr. XXXVIII, per anachronismum quendam ab ipsius poetae temporibus haec repetit. Poterat hac conjectura supersedere. Respexit enim procul dubio poeta ad ea, quae recepto Eumenidum cultu Minerva urbi conciliaverat commoda: Aesch. Eum. 938 sqq., quae ab Orestae quidem temporibus non poterat Sophocles repetere, ni a fabulis plane aliena esset temporum ratio. Sed ad tragoediam est revertendum.

Post viatoris discessum Oedipus preces ad divas fundit ardentissimas, admonitus autem a filia adventare chorum, committere se populo non audet, sed filiam jubet se abducere et limine transcenso lucum intrans e scena discedit; post chori confirmatus sermone iterum prodit et a choro jubetur, priusquam secum sermones serat, ad ipsum certe limen redire.

Oedipus quum a choro certe nusquam conspiciatur, vere de scena mihi videtur discessisse, quod ex iis, quae supra statuimus, fieri non potuit, nisi per portam scenae sinistram, utpote cui lucus ille circumfusus esset. Quid enim erat, cur poeta vellet fingi a choro Oedipodis absentiam? et multo magis spectantibus chori probatur formido, si et ipsis subito exoritur vultu torvo et oculis effossis horrenda Oedipodis species.

Accuratius deinde est in eum locum inquirendum, ubi Oedipus jubetur luco excedere, quum Hermanno videatur non liquere, utrum ei adscendendum sit, an descendendum. Egregie ille monuit v. 170 incipere Oedipodem progredi, sed subsistere timentem, ne severius in se statuatur, v. 179 iterum progredi. Sed hoc loco fortunae iniquitate quatuor perierunt versus, quorum primus ad v. 195 conformandus ab hoc non videtur fuisse diversus: *ἰώ μοί μοι.* Cur Oedipus hoc loco ciet planctum? Quoniam ei descendendum est, quod sine aliqua timiditatis specie facere non potest. Ita enim natura ipsa rem comparavit, ut in tenebris vel clausis oculis circumeuntes multo audacius et fidentius ascendamus, quam descendamus. Quare Oedipodi interiora nemoris petenti nulla difficultas objecta: ascendendum enim erat in struem uno scalarum gradu non multo altiorem, ab altera autem parte solum erat similem, fortasse in modum evectum, post nulla res impediebat, quo minus in

interiora nemoris pergere posset. Sed quum v. 194 ad ipsos illos gradus reductus timide altitudinem graduum, ne caderet, pede vel baculo exploraret, gemitum edit prae pudore. Praeterea enim non intelligo, cur ibi calamitatem suam deploret, neque alii videntur intellexisse; tacent enim interpretes. Scholiasta tamen ille v. 19 hanc difficultatem sentiens et memor naturae loci, voraginem significari ratus *πάγον* substitui *πέτρῳ* jussit, falso quidem, neque tamen sine idonea causa faciens. Perierunt deinde duo Antigonae, quod antistropha docet, versiculi, exhortatorii fortasse sicut ibi, Oedipodis unus, verbis *ὤ μοι δύςφρονος ἄτας* similis, exclamatio certe et ipse. A choro deinde admonitus, ne incolarum repugnet religioni, jubet se abduci in eum locum, ubi fas sit versari. Sed quum partem quandam viae confecisset, in eo est, ut consistat: chorus tamen nihil ei remittens: ne ibi jam pedem posuisse velis; quo loco aut non intelligo interpunctionem post *αὐτοῦ* positam, aut non fero. Fucum fecisse viris doctis opinor *ἄλις*, quod sequitur. Mihi *αὐτοῦ*, si quod vult Wunderus significat: ibi consiste, repugnare videtur iis, quae sequuntur: *μηκέτι τοῦδ' ἀντιπέτρου· βήματος ἔξω πόδα κλίνῃς,* quae de considendo propter *οὕτως*, quod sequitur, non possunt esse dicta, cogitatione adde *κλίνω πόδα*; ad *οὕτως*: respondetur: *Ἅλις. Αὐτοῦ* conjungendum est cum reliquis hoc sensu: ne tu ibi jam subsistas, et *ἀντιπέτρου βήματος ἔξω* explicationis gratia sunt ad *αὐτοῦ* adjecta. Quo facto Oedipus moleste ferens, cum in humo pedem se ponere sentiret, *οὕτως,* itane demum? interrogat. Cui chorus, qui nihil, nisi ne in ipsa rupe subsisteret, monuerat, jam audisti, inquit, ita mihi satisfactum. Oedipus deinde paullo ferocius, standumne est mihi? interrogat. Anceps est responsum; seni negare sedem crudelitatis est, considere in strue, quod v. 37 docemur, religioni ducitur. In imo igitur lapidis margine, ut pote humana arte addito, contractus ut considat (*λέχριος ὀκλάσας*) chorus ei concedit, cf. Herm. ad 190, sed tam alte corpus deprimere caecus sine extrema difficultate nequit: quidquid pia in patre sublevando laborat filia, imbecillitatis sensu obrutus iterum exclamat: *ἰώ μοί μοι* et *ὤ μοι δύςφρονος ἄτας*.

Tum chorus sciscitari Oedipodis originem eaque comperta perterritus ipsum abigere, Antigonae tamen blandissimis precibus, ipsius senis exclamationibus, misericordiae suae patriaeque utilitati concedere, dum veniat Theseus. Qui dum exspectatur, conspicit Antigone Ismenam sororem equo vectam, cursu celerrimo ad ipsos approperantem. Quae propter equum non videtur alio loco nisi per orchestrae portam sinistram intrare potuisse, de qua re vide Genellium p. 174, Geppert üb. d. Eing. p. 36, et quae duobus abhinc annis disputavi, Meld. Schulpr. 1844, excidisse apud Pollucem post *εἰσελθόντες δὲ* verba: *ἐφ' ἵππου ἢ καὶ ἁμαξῶν,* ut quod praecedit *πεζοὶ* habeat, quod ei respondeat. Quo facto supersedere poterimus Buttmanni commento contendentis *πεζοὶ* significare, qui terra, non mari adventant. Jam patet, quo altera illius per orchestram viae pars vergat: Thebas deducit, inde enim venit Ismena. At venerat etiam illinc Oedipus, qui tamen regia porta scenam ingressus est. Recte tu: d u a e i g i t u r e p r o s c e n i o p a t e n t v i a e T h e b a n a e, inter quas Furiarum lucus medius fingitur esse interjectus, per portam regiam altera, altera per sinistram orchestrae.

Ismena patris sororisque petit amplexus: exhausta utriusque revisendi dulcedine perlatisque, quae nuntians advenerat, Oedipodis expiandi suscipit munus, qua in re quum in Creontem advenientem incidat, sequitur, ut eadem, qua scenam intravit, via ex ea discesserit: nemus enim aut aliquam certe ejus partem circumire jussa est v. 495.

Oedipus deinde cum multis singultibus satisfacit choro de iis, quae deliquisset, sciscitanti, advenit Theseus, qui quum Athenis arcessitus sit, prodit e porta dextra, quae sine dubio ipsam urbis portam spectantibus repraesentabat, ita ut hinc illinc muri turresque conspicerentur. Recepto in fidem Oedipode Theseus discedit Neptunique petit aram sacrificaturus 883, quam, in montis recessu positam, non fuisse in conspectu monuimus; per portam igitur regiam discedit.

Cujus absentia usus Creon, qui id agit, ut Oedipodem aut placatum Thebanis aut vi et minis abducat, per orchestrae portam sinistram intrans ab Antigone conspicitur et modeste chorum, propter quem erat ei praetereundum, ut in pulpitum ascenderet, allocutus Oedipodem monet, ut volens lubensque secum proficiscatur. Quo negante Antigonen abreptam comitibus tradit, quos consentaneum est substitisse in orchestra 822, illa cum propter ipsam chori stationem abducenda sit, non videntur inanes minae, quas chorus jactat, sed facile intelligitur pugnae instantis simillimam fuisse speciem. Similia vide ap. Gepp. d. Eing. p. 30. Chorus civium implorans opem ad dextram recedit orchestrae partem, dum per sinistram abducitur Antigone. Tum Creon in pulpitum redux ipsum comprehendit Oedipodem, sed choro scalas obsidente, Theseo simul per portam regiam advolante, interceptus in manus incidit Thesei, qui, qua via abducta erat Antigone, eadem ipse Thebanos persecutus, altera illa, qua Oedipus advenerat, exercitus partem lucum circumire jubet et discedentibus exitum obstruere, opinor, ne major armatorum copia per scenam esset traducenda. Per orchestram redeunt Antigone et Ismene, Theseus autem cum equitibus altera illa via circum Furiarum lucum profectus jam accepit nuntium de Polynice ad Neptuni aram sedente et per portam regiam et ipse et Oedipodis filius et intrare et discedere censendus est.

Ultimus superest Oedipodis exitus v. 1549 in eum locum, quem schol. v. 1579 sibi persuasit eundem esse, in quem v. 110 abierat, quem tamen poeta mirabili memoriae lapsu nunc extra scenam situm fingat. Quin locus ille is erat, in quo ne colloqui quidem auderes cum Oedipode, hic quo Theseus, filiae, ministri ipsum sequantur. 1581. Sed ludum fecit viro doctiori quam acutiori *χαλκοῦς* illo *ὀδός*, de quo supra exposuimus. Hoc primum tenendum est, multi homines quum Oedipodem discedentem secuti sint, non fingi eum continuo nemus Furiarum intrasse, sed aliquamdiu propter ejus oram incessisse. Viam quum ab utraque hujus nemoris parte fuisse viderimus, alterutra profectum esse consentaneum est, et quum illa per orchestram in senem caecum non cadat, per portam regiam discessit, per eandem redeunt nuntius, Antigone cum Ismena et Theseus.

De loco, ubi Oedipodem terra hauserit, quamvis nostrum non sit exponere, utpote qui a spectatorum oculis esset remotus, paucis tamen monebimus. Major pars hujus Furiarum nemoris non erat locus editus, collis aut mons, sed alte depressus, vallis aut vorago,

sed ea arboribus, dumetis, herba obsita, non enim solum ἄλσος 124, sed etiam νάπος 190 et κράτηρ vocatur 152, 1585: neque vero necessarium est, eandem utroque loco significari voraginem, quin multae ibi videntur fuisse. Ad earum unam tradit poeta accessisse Oedipodem, quare limen hujus loci τὸν καταῤῥάκτην ὁδὸν vocavit, partem significans, (sicut Latini ultimus, postremus alicui verbo addentes cf. ἄκρος 189) non totum limen praeruptum fuisse dicens. Latius tamen videtur haec vorago hiare, complures in ea conspiciuntur viae ad ima ducentes, recessus praeterea, in quorum uno conspiciebatur Thesei Pirithoique monumentum, quod ibi fingebantur in amicitiae in perpetuum valiturae memoriam posuisse. Medius inter hoc saxumque Thoricium et sepulcrum quoddam e saxo exstructum Oedipus consedit et corpore abluto in eam ipsam voraginem teste scholiasta se conjecit, per quam Pluto Proserpinam abduxisse credebatur. Tanta in hoc loco describendo cura versatus est poeta, ut non pigeret eum, cavam quandam pirum ibi stantem commemorasse, quo magis dolendum est, tanta saevitia postea Antigonum in haec loca saeviisse, ut Pausanias I, 30 hic nihil, quod commemoraret, repererit.

Absolvimus, quod proposueramus: in dramate actionis plenissimo apparet, quum tot in scena coeant viae, Colonea, Atheniensis, ad Neptuni aram una, Thebanae duae, quumque praeterea exitus esse debeat ex ipso nemore sacro, nihil esse tamen, quod statuamus ullam propter versuras, quae περίακτοι Graece vocantur patuisse, nisi statuas neglectam esse unam ex iis, quae ex more in theatris erant. Quod qua ratione ductus statuas non satis intelligo. Sed haec doctioribus relinquenda; nos utinam non plane sine fructu laboraverimus.

